

DISSERTATIONIS,  
DE  
BIBLIOTHECARIIS  
ACADEMIÆ ABOËNSIS,  
PARTICULA TERTIA.

QUAM,

ANN. AMPL. PHILOS. ORD. AURAIICO,

*publico examini,*

in Audit. Philos. d. xxvi Maji a. MDCCCXIX,

h. a. m. f.

PRÆSIDE

*Mag. FREDR. WILH. PIPPING,*

*Hist. Litter. Prof. Publ. Ord. et Biblioth. Acad. Præfecto,*

PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS,

*modeste subicit*

*CAROLUS ULRICUS SWAHN,*

*Adjunctus Pastoris in Wehmo, Borea-Fenno.*

---

ABOÆ, typis FRENCKELLIANIS.

## THESES.

### I.

Majores nostros ante occupatam a Svecis Finlandiam in litterarum studiis versatos non fuisse, contendere audentus,

### II.

Doctrinæ vero Christianæ, utut vi et armis propagatæ, inprimis debentur initia litterarum his oris cultarum.

### III.

Indolem tamen et vim litterarum ejus ævi universam accuratius contemplantes, eas in inani verborum lusu et controversiis inutilibus, sæpius quam in frugifera disciplina, positas fuisse fatebuntur.

### IV.

Ut purgata confirmataque per beatum Lutherum doctrina Christiana omnis revixit Respublica Litteraria, ita Finlandiâ quoque fructuosæ scientiæ initia ab eodem maxime tempore repetit.

### V.

Ad scientiam hanc felici successu provehendam haud exiguum attulit momentum, quod ipsorum Religionis Christianæ reformatorum ex ore, unacum salutis doctrina, præstantioris eruditionis principia in Germania acceperint primi ecclesiæ Lutheranæ apud nos antistites,

### VI.

Litteris antiquis, Latinis maxime atque Græcis, sedulam hos dedisse operam, tanto magis in lucris ponendum est, quanto certius constat, ab illis ordiendum esse, si bene succedant humanitatis studia,

### VII.

Linguae quoque Sanctæ peritia, haud mediocri, instructos fuisse eosdem, versio Fennica Veteris Testamenti, paullo post absolutam Novi Testamenti illam inchoata, fatis superque testatur,

### VIII.

Acerrima studii contentione comparatæ eruditionis copia quanta sæculo jam XVIIo nostrates abundaverint, dubio caret; multam autem, quam magicis artibus concesserunt efficientiam, argumentum esse putamus adhuc deficientis sanioris interiorisque doctrinæ, in qua vera sapientia latet.

Facultate Theologica ambiebant sedem. In illius enim locum, dummodo inde abire sineretur, sufficiens visus erat BERGIUS, primus propterea ad eligendum S. R. Majestati oblatus; sed in contrarias distractis partes animis eorum, qui secundusne an tertius Theologorum foret STODIUS decernerent, postulanteque hoc inprimis NICOLAO NYCOPENSI, qui, natu quidem minor, sed in Facultate Theologica prior, utpote a. jam 1650 tertius Theologiæ Professor factus, ignominix sibi futurum duxit, si STODIO adventitio postponeretur (*ccc*), tota res, diuturnitate quasi in oblivionem adducta (*ddd*), ad initium usque protracta est anni 1654, quo tandem tam STODIUS de tertia Theologica, (NYCOPENSI ad secundam promotus,) quam BERGIUS de Linguarum Professione, Diplomate Regio, huic certe d. 7 Febr. dato, confirmati sunt (*eee*). Procrastinatio autem hæc KEMPIO tamen minus longa quam cæteris, cum interea, ratione habita commendationis istius Regiæ spretoque priori decreto unanimi, quo in Adjuncturam eandem, quam loquimur, quamprimum intrandi jus Magistro JOH. KETARMANNO attributum (*fff*), Facultate etiam Philosophica commendante dignus a Consistorio Academico die 30 Mart. a. 1653 habitus est, cui conjunctio Præfecturæ Bibliothecæ cum Adjunctura, et salarium hujus in suum mox ab antecessoris abitu supputandum usum, tabula permitteretur publica (*ggg*). Cujus permissionis fructus

---

*ccc*) Vid. Prot. Conf. d. 14 Sept. a. 1653.

*ddd*) Vid. Litteræ Cancellarii d. 5 Aug. a. 1653 datæ.

*eee*) Cfr. Prot. Conf. dd. 15 Dec. a. 1652 et 27 Sept. a. 1654.

*fff*) Vid. Prot. d. 18 Sept. a. 1652.

*ggg*) Vid. Prot. hujus diei et prototypum Diplomatis eodem dati.

Etus aucti porro sunt decreto diei 7 Dec. ejusdem anni, finente ut a præterlapso jam festo S. Johannis, a quo scilicet nova iis quoque numerarentur stipendia, quibus ad alia promotis munera Adjuncti Facultatis Philosophicæ hoc tandem vacavit, stipendium eidem destinatum KEMPIO cederet (*hhh*).

Nec minori ad dexteritatem industriamque Bibliothecarii probandam vi gaudent litteræ Illustrissimi Cancellarii, Comitum PETRI BRAHE, in commendationem laudemque ejus, in hac eadem statione dum maneret, (alias sæpius deinde, aliis ferentibus occasionibus, datas suisque locis commemorandas hoc ut taceamus,) scriptæ, quemadmodum diei 8 Aug. a. 1653 illæ, quas autographas legimus, ut et aliæ, in Consistorio Academico d. 11 Febr. a. 1657 resignatæ, sed in Actis Academicæ a nobis nondum repertæ. Illis magnus iste animus, justissimus ingeniorum doctrinæque æstimator natus et liberalibus studiis factus, non modo rependendos esse KEMPIO e fisco Academicæ et redditibus Bibliothecæ sumtus, quos et eo anno et superioribus, itineribus Holmiam institutis, in Bibliothecam Academicam augmentis ampliandam felicissimo cum succesu fecerat, sed ipsum etiam, diligentia et studio officii flagrantem, atque doctrina simul perfectum, ad potiora munera, quamprimum temporum mutationes viam patefecerint, provehendum nec ulla ratione oblivioni dandum esse monet. Has vero quod attinet, e verbis earum, ut in Protocollo Consistorii Academici relata leguntur, eo plus favoris elucere videtur, quo major angustia rei Academicæ, necessitates haud raro deficientis, eodem tempore fuit. Quare etiam, postulanti sic Cancellario ut quod instituto, cui præfuit KEMPE, litterario assignatum eo esset anno, usibus præfecti concederetur propriis, exponendam esse

---

*hhh*) Cfr. cum Prot. ejus diei Rationarium a. 1653.

esse difficultatem Bibliothecæ, tecto egentis, nec publicos privatis hominibus dispartendos redditus, decrevisse, haud quidem injuria, Senatam Academicam (*iii*), meritorum, quibus tantam apud fautorem gratiam inierat Noster, vim minime infringiti.

Neque defuere ipsius Consistorii, hanc illis rebus ferentis sententiam, benevolentiae officia, eruditionem sollertiamque Bibliothecarii, superiorum oculos procul inde ad se rapientis, propius spectantium etiam quotidianæ societatis hominum ponderibus examinatas, non probantia tantum, sed laudibus etiam illustrantia. Exstiterunt ea maxime ubi de illo in altioris Academici ordinis ampliorem conditionem evehendo mota quaestione, quid meruerit supremo Academiae antistiti ipsique Sacrae Reg. Majestati ante oculos ponendum esset. Sic et Eloquentiae Professione a. 1654 vacua, in eligendorum numero est positus (*kkk*), et in locum Mag. JOH. PRATANI, Logices huc usque Professoris, jam vero Pastoris Ecclesiae *Pargas*, succedendi veniam d. 14 Nov. a. 1655 rogantis commodis laudibusque ita consulere, tam Facultas Philosophica, quam Consistorium, ut et primum ambientium nominarent, et ante cæteros, quantumvis bene etiam meritos, eo munere adjuvandum censerent (*lll*). In quo justitia, suum cuique tribuente, nixam benignitatem admirandi materiam reperies uberrimam, unde et ad novum officium ambientem, et ad eos, quorum com-

men-

*iii*) Vid. Prot. Conf. d. 11 Febr. a. 1657.

*kkk*) Didicimus hoc ex epitome *Tengströmiana* epistolæ ABRAH. THAUVONI, Physic. Prof. et tum temporis Rectoris Magnifici, d. 29 Oct. a. 1657 ad Illustriss. Com. PETR. BRAHE misæ.

*lll*) Vid. Prot. Conf. Acad. d. 14 Nov. a. 1655 et Litt. ad Cancell. d. 12 Dec. e. a. scriptæ.

mendantium votis ei assignaretur, laudis plurimum redundat, certior factus, Cancellarium, ad quem, eo moderatore tandem dijudicanda, hæc referrentur, placentem sibi alium suffragiis quoque Senatus Academici vocandum esse, ut sic eo certiori successu S. R. Majestatis huic obtineretur confirmatio, in antecessum jam significasse (*mmmm*). Simul autem, ita cum se haberet res, minime est mirum, nihil commodi ad fortunam mutandam hinc reportasse KEMPIUM. Diu tamen non est præstolatus, priusquam faustioribus auspiciis ad interceptam regredi datum spem, Doctore MICH. WEXIONIO GYLLENSTOLPE, qui et Juris et Politices atque Historiarum Professoris officia per plurimos annos juncta sustinuerat, Assesore Regii Dicasterii Aboënsis a. 1657 facti. Communibus omnium et singulorum suffragiis nunc non fuisse voti sui, alterum officiorum illorum, Politices scilicet atque Historiarum Professionem, petentis competentem in electionis ordine constituendo factum Nostrum, Acta quidem docent: sed quemadmodum omnium vis rerum ex indole earum sæpissime est metianda, cum quibus comparantur, adeo ut quam nuper præoptavimus, eam, utut sui omnino similem, accedentibus aliis posteriorem jam habeamus; ita vitio vertendum non est KEMPPIO, qui principem inter eligendos antea tenuerat locum, quod hoc jam OLAO WEXIONIO, fratri MICHAËLIS, Politices et Historiarum in Academia Reg. Dorpatensi

---

*mmmm*) Litteræ Cancellarii d. 26 Oct. a. 1655 datæ hæc habent: —

“Och såsom Ofs af *Senatu Academico* för detta år recommenderadh M. *Andreas Thuronius*, och Wij näst dedh han år landsfens barn, bepröfve hans skickelighet, och ellieft förnimme honom hoos alla hafva itt godt beröm, Så begäre Wij vänligen af E. s. Ehrew. het och Eder gode Herrar I edre Vota om M. *Pratani Succesfore* på honom fålla, på dedh Wij, igenom Eder *vocation* kunde honom med samma lägenheet försörja, och af Hans Majst, Wår Nädigste Herre och Konung *Confirmation* der på förskaffa.”

patenti jam tum Profesori, sed bello in Ingria Livoniaque flagrante inde profugo, cedere coactus fuit, præsertim cum in scripto, quo iudicium Consistorii de viris utræque GYLLENSTOLPII provinciæ, seorsim posthac administrandæ, præficiendis Illustrissimo Cancellario exponeretur, honorificentissimis laudes illius verbis nihilominus prædicarentur (*nam*). Tacendum etiam non est, haud defuisse qui non modo laudes illas æquis non acciperent auribus, sed præconem etiam ipsarum præcipuum falsi accusarent et, quemadmodum supra pag. 18. monuimus quoque, de iis cumulum deruere, maledictis inde a juvenili KEMPII ætate repetitis, studerent; sed simul fatendum, nec fallaciæ quoddam ex Actis, secum invicem sedulo collatis, crimen elucere, nec, si eo usque processissent hominum bene Nostro cupientium studia, aliquid vel de præstantibus ingenii dotibus, vel de virtute ipsius ita derogatum fuisse, neque tandem nullam causæ ejus vim afferre moderationis æquabilitatem, qua partium studio non omnino non infectis cum adversariis, venenata clam mittentibus tela, minime pari inita pugna, rationes

---

*nam*) Scripti hujus, die 19 Nov. a. 1657 exarati, summam tantum ex Excerptis illis Reverendissimi TENSTRÖM cognitam habemus, unde constat, visum fuisse Consistorio, ut Juris Profesoris munus, ni forte GYLLENSTOLPIO retinendum adhuc permetteretur, juris utriusque Doctori MICH. WISIO, Aboënsi, qui summis in Philosophia honoribus Aboæ a. 1647 decoratus, juris scientiæ notabili cum diligentiæ laude per quinque annos data in Germania opera, Syndicus nuper nominatus erat Stettinensis, Politices vero et Historiarum illud aut OL. WEXIONIO, aut KEMPTO, plurimis hoc nominibus laudando, traderentur. Apparet hinc, dubitatum fuisse an de ambobus officiis decederit, aut decesurus esset, Assesor Reg. Dicasterii nominatus GYLLENSTOLPE, qui ipse, ut e litteris ad Comit. P. BRAHE misis ejus plurimis colligitur, vehementer optavit ut, retento Juris Profesoris loco, et fortunæ suæ et in Juris Svecani interpretatione posito operi (Paratitula forte, s. Exegesis in Jus Svecanum Provinciale) absolvendo consulere liceret.

tiones pro se et contra æmulum facientes, sine ira et studio exposuit. Falsi crimen locuti sumus propterea quod objectam legimus Rectori ejus anni Magnifico, ABRAH. THAUVONIO, tabellam commendatitiam, a Senatus sententia discrepantem, litteris hujus vel suppressis, vel paucorum consilio in diversum mutatis 000). At, neque publico nomine non scriptam illam ppp) culpæ auctori dandam, facile apparet, nec has a quoquam

000) In Protoc. Conf. Acad. d. 3 Mart. a. 1658 hæc exstant: "Protesterades emot *Magn. D. Rect.* för dedh han hade tvårt emot sitt embete, och *Consist. sentens*, skrifvit särdeles för M. AXELIO KEMPE till att *succedera in Professionem Ethic. Pol. &c.* och där till medh skulle *Magn. R.* nederlagt *Consist.* bref, uti hvilket förmåltes att M. OL. WEXIONIUS skulle vara *primus in electione* till ofta b.1c *profession* uti sin broders *Nob. D. D. GYLLENSTÄLPES* ställe. Hårpå svarar *Magn. D. R.* att *Cons.* bref ingalunda var nederlagt, ty han lefvererade dedh M. AXELIO i händer, sedan dedh blef försegladt, hvilken dedh väl forskickade. Intygade ock M. THURONIUS att dedh brefvet voro framkommitt, dedh han beskedh hade på". In epistola diei 11. Febr. a. 1658, in schedis *Braheanis* inventa, queritur etiam GYLLENSTOLPE, clanculum in angulo conventientia quædam Consistorii membra publice decretum de proponendis candidatis scriptum singulari ausu in contrarium commutasse, successurumque in Professionem Juris sibi, superiorum mandato nondum dimisso, sed præmature e Consistorio excluso, simul nominasse.

ppp) Congruentis ratione habita temporis intelligi putamus epistolam, nota (kkk) jam citatam THAUVONII, qua KEMPIUM atque MART. MILTOPÆUM, ut indigenas, præ advenis, ex sæpius iterato Comitiorum Regni decreto adjuvandos, favori Cancellarii commendat, illum præfertim ornantes eximias celebrans dotes et scientiam, post adeptos undecim abhinc annis honores Magisterii, in Adjunctura et Bibliothecæ Præfectura per septem annos continuos ad plurimum juventutis emolumentum collatas; quare etiam bis antea dignus judicatus, qui Professor heret, et nunc tam partibus Politices et Hi-



quam interceptas esse, vel fontica sine causa, plurimis scilicet Profesorum unacum discentibus atque urbis civibus pestis subortæ metu ruri dispersis (qqq), in Senatus infrequentia dictatas, et Acta Consistorii et genuina ambarum exempla, in collectione *Rydboholmensi* vel hodie legenda, satis superque testantur. Rationes autem a KEMPIO ipso allatas quod attinet, Cancellario considerandum verecunde subjecit, Fennicæ maxime gentis in gratiam conditam esse Academiam hanc Aboënsē, in qua et ineuntis ætatis studia arripuerat et Adjuncti Bibliothecarii que officiis jam dudum fungebatur, incrementis haud spernendis Bibliothecam sua opera auctam, et variis editis specimenibus parem Profesorio muneri administrando æstimatum se hujus obtinendi in spem sæpius jam frustra adductum fuisse, WEXIONIUM autem, se magistro litteris institutum, et bonæ esse conditionis, et amplo haud ita pridem admotum muneri, unde sua haberet illæsa, exercitiis licet Dorpati, propter temporum iniquitatem cesstantibus: præterea Juris Professionem huic post fratris abitum deferri posse, nec prudentis esse, propinqua

---

floriarum Professoris, dum vacaret sedes, curandis præpositus, quam a Facultate Philosophica alter eorum nominatus, qui suo jure eandem occupaturi viderentur, Senatu majore propter Professorum absentiam ad deliberandum de hac re nondum convocato.

qqq) Rem BRAHEO referentibus GYLLENSTOLFE, in litteris diei 8. Oct. a. 1657, et THURONIO, circa idem, ut videtur, tempus, Riga Holmiæque venientes quidam pestiferam secum tulerant luem, inferioris homines conditionis primum, mox nonnullas eminentiorum quoque domos inficientem et latius indies serpentem. Rus igitur plurimis urbanorum petentibus, quanquam et ibi universæ interierint familiæ, disspatoque sic cœtu Academico, ita ut Professorum perpauci, Studioforum vix ultra L., remanserint, exercitia quævis Academica cesarunt. Præterea ex Protoc. Consistorii Acad. liquet, congregandi ejusdem nullum ab 11. Maji a. 1657 ad 10. Jan. a. 1658. diem fuisse.

qua cognatione junctis plurima! Senatus Academici loca concedere (rrr). In quibus rationibus quantum fuerit vis non fugisse Cancellarium, eventus etiam rei probare videtur. Aemulationis enim ita ortæ finem dum anxie exspectaret pars utraque, superioribus, quorum sententia decernendum de ea erat, et WEXIONIUM et KEMPIUM voti ita damnare, consilio sane prudentissimo placuit, ut ille Juris, hic Politices et Historiarum, quæ eadem Ethices, Politices et Historiarum, vel Philosophiæ Practicæ et Historiarum, promiscue tum temporis audiebat, Profesoris spartam nancisceretur.

Contigit igitur, quem sæpius expetierat, honos tandem KEMPIO, diplomate Regio mense Aprili a. 1658 munito (sss). Quo facto decedendum etiam quamprimum fuisset e provinciis huc usque administratis; sed tracto, Regis forte propter absentiam, nuntii Aboam adventu, ita ut ipsum saltem diploma Consistorio Academico ante d. 13. Oct. non exhiberetur, alio tantum, inde exscripto, exemplo die 9 Sept. monstrato, statim fieri non potuit, et Bibliothecam quod attinet ne tum quidem cum promotionis allatæ essent litteræ, quoniam ejus cura in alium quam legitime constitutum Bibliothecarium commode non erat devolvenda. Quo etiam anno sequente nominato, provinciæ tamen hujus KEMPIO prorogandæ gravis remansit causa, nonnisi lente festinando tollenda, recens nempè Bibliothecæ, nec non minoris præterea momenti aliæ, a decesuro tamen Bibliothecario ut moræ aliquid postulantes allatæ, libris scilicet restituendis omnibus danda opera, et de rependendis quæ de suo, in honorem et augmentum Academiæ publicamque utilitatem, Holmiæ a. 1650 infumserat, novi condendi

---

rrr) Vid. Litteræ KEMPII tres, in collectione *Braheana* servatæ,

sss) Vid. Prot. Conf. Acad. d. 25 Oct. h. 3,

di muneris; unde suo cum damno tam cito abire durum; auctor et cum primis promotor, ab ipso mota, hac occasione, ut sæpius, quæstio. — Recensendi negotium, die 29 Mart. a. 1659 sibi datum, die autem 18 Maji ejusdem anni nondum inceptum (ttt), quando et quo modo effecerint OL. WEXIONIUS et THURONIUS, nos omnino latet; constat autem die 18 sequentis mensis novo Bibliothecario traditam esse clavem Bibliothecæ, Professore KEMPE suam in libros desideratos conquirendos interponente fidem (uuu). De libris legendi cupidis commodatis, necdum reportatis, tantum sic actum putamus, quoniam suspicione postea de quibusdam disperditis orta, eam, ut nulla veritatis vel testimoniorum fide nixam, KEMPE, nemine repugnante, a se facile depulit (vvv). Quantum autem ad sumtus eidem rependendos, nec certiores eorum rationes unquam initas reperimus iis quæ e scripto, Senatui Acad. die 16 Jun. a. 1659 exhibito, Thalerorum cupreorum ultra DC summario referente calculo, coguntur, nec in rationem facile venire potuisse omnes credideris, multa et varia operæ atque studij contentione, in sumtuosissima illa Holmiæ commoratione, ad usum quidem Academiæ, at non ejus nomine et auctoritate, sed proprio Marte atque consilio, suum quoque in commodum, in

G

fa-

---

ttt) Vid. Prot. Conf. Acad. illis diebus exaratum.

uuu) Vid. Prot. Conf. Acad. diei 18 Jun. a. 1659.

vvv) Prot. Conf. Acad. d. 23 Jun. a. 1660 hæc habet: "Talte *Dn. Procancell.* att det år honom förekommitt att ifrån *Acad. Bibliotheca* ärö disperade några böcker medhan *Mr. AXELIUS* var *Bibliothecarius*, hvarpå honom år vist en *Catalogus*. *M. Ax.* svaradhe, att den som det hafver sagdt, han hafver sagdt som ingen årlig karl och skall aldrig bewijfa det att jagh hafver disperat *Acad. Bibliothec.*"

familiaribus ac domesticis rebus curandis (*www*), a KEMPPIO factos. Quare etiam de anno in annum ducta esse videtur a Senatu Academico res, de jure minus quam ex æquo pendenda, donec Illustrissimo Cancellario, ad quem pluries eandem retulerat magno cui stabat, visum, numerato soluta pecunia renumeranda satis factum haud iri, sed laboris insuper accersurum præmium; quo animo et quadrantem Theologici salarii, quo huc usque usus erat NYCOPENSIS, a. 1638 Episcopus Wiburgensis nominatus, KEMPPIO pro a. 1659 in tenuis rei molestiæ levamen assignavit (*xxx*), et litteris d. 18 Jul. a. 1661 atque 21 Oct. 1664 exaratis Consistorio insuper injunxit, ut quando Fisci fortuna ferret, expensi quoque illi in Bibliothecæ vel Academiæ usum numi pendenti rescriberentur (*yyy*). Sic quod quatuordecem ante annis ære alieno dinumeraverat, acceptum tandem retulisse a. 1664 videtur KEM-  
PE

*www*) Liquet hoc e scripto KEMPII, die 26 Febr. a. 1651 Senatui Acad. oblato, quod in Actis Rectoratus vidimus.

*xxx*) Litteras in fidem rei Gothoburgi a. 1660 datas oculis perlustrare nostris non contigit; sed quod d. 18 Jul. a. sequ. signatæ aliæ et Prot. Conf. Acad. d. 2 Maji a. 1660 ambigue innuunt, id ab omni dubio vindicat Rationarium a. 1659, in quo dimidium vacantis stipendii illius Theologici æquis partibus KEMPPIO et JUSTANDRO, Poëseos Profesori, scriptum est.

*yyy*) Augmenta tantum Bibliothecæ, quondam cum magna KEMPPII impensa comparata, heic quidem commemorantur; sed numerata in ejus rei molitione pecunia, Rationibus d. 8 Sept. a. 1653 scriptis Thalerorum cupreorum CXXXIII cum denariis IV æstimata, die 19 Oct. ejusdem anni, ut ipsius Nostri manu mandato Consistorii de pecunia illa solvenda subscriptum indicat testimonium, jam recepta, aut casuum fere similibus satis distinctam notionem præbitam haud fuisse Cancellario, aut uno judicio æstimatam utraque via datam rebus Bibliothecæ consulendi operam, uno eodemque præmio dignam Eundem censuisse, putamus.